

1426
pias ex Hetruria & Flaminia revocarat : incesse-
ratque ob id Patres ingens cura occurrendi, quo minus illius arma in
Galliam pervenirent. Constans opinio erat, si in unum
Philippi copiæ coivissent, fore, ut non modo non arce
aliivæ munitionibus amplius Venetus potiretur, sed ne
ipsam quidem urbem esset retenturus, periculumque ad
id fore, ne aliqua interim non expectata clades acciperetur.
Dum tantis hostium conatibus tam proxime esset resistendum,
& quia jam ex stativis movisse dicebantur, nec Veneti circa Alpes,
Padive fluentia locum habebant ullum, unde hostibus occurrere possent; Nicolao Æstensi,
qui validissimum sociorum habebat equitatum, negotium dederunt,
ut vadis in Mutinensi agro (cujus fines Apennini juga ac Padi
ripas perstringunt) rescissis, paludes ipsas perpetuis stationibus
asservaret. Miserunt & Victorem Barbarum, virum impigrum ac
patricii sanguinis, cum sex millibus lectorum equitum peditumque,
qui ad Vineolam, medio fere tractu inter Padum & Alpes, hostes
transitu, si posset, arceret? Carmaniolam quoque per literas
hortantur (qui adhuc circa Aponi balnea erat) ut primo quoque
tempore Brixiam reverteretur, ne, eo absente, aliquam ibi Respublica
acciperet cladem. Ejus reditus ita coercuit hostium audaciam,
ut non solum non amplius erumpere auderent, sed intra munitiones
ipsas nonnunquam pugnare cogèrentur. Interim Philippi copiæ in
Bononiensis agri finibus confederant, haud procul a Vineola,
præalto amne a Venetis stationibus dirempti. Exonerant se circa
Coalcorium oppidum admodum vastæ paludes, efficiuntque flumen in
Padum decurrens, nusquam interim vadabile: ad hujus ripas,
omnibus frustra tentatis, dies circiter triginta hostes inviti
substitere. Demum fabricato ad Persicetum oppidum ponte, circa
Scultennam calendis Majis sub lucis exortum transivere. Ratio
jungen- di pontis hujusmodi fuisse dicitur, ut hostes viginti ob-
longa dolia bina serie arctissimis vinculis connexa, utriusque
ripæ arboribus alligarint. His superinjectæ crates virgultis
& sabulo instratæ, facillimum equitatu transitum
præ-